

net : quoties pauperem familiam, ecce non habent, quod manducent. O si quis daret mihi potum aquæ! Annón igitur ultro curramus et volumus? Christus certe intellecta tantum necessitate nostra statim præsto fuit et succurrit, ut eum audiit: *Vinum non habent: et: Ecce quem amas infirmatur, cur ergo non faciamus nos hoc et ipse?*

VII. Candidis vestibus ad designandam naturalem eorum puritatem, juxta Gregor. Nazianz. orat. XXIII. in laud. Hieron. vel etiam ad designandum eorum candorem et sinceritatem. Candor enim sinceritatem dicit, ut ideo veteres Romani candidis vestibus ire ad convivia. Quo candore pollent angeli naturaliter, quia uti substantiæ simplices sunt, non compositæ, ita nesciunt aliter apparere et aliud esse, vel simulate quidquam agere. Erat hic candor olim ita ingenuus Germanis ut Germane et candide agere idem esset apud exteras nationes. Sed non apparent amplius hæc vestes in quam multis. In usu nunc habetur vestis Mezolana a peregrinis nationibus adducta, cum tamen Deus præceperit, Deut. XXII. *Non induetis vestimento, quod ex lana ino- que contextum est.* Vestis autem illa extra lanam, id est, simplicitatem operis: intus linum, id est, malitiæ subtilitatem continet, sicut explicat S. Gregorius, l. VIII. mor.

VIII. Discalceati. Hoc significat, ait Dionysius, cæl. hierarc. cap. XV. quod liberi, absoluti et expediti atque ab exterioris omnis adjectionis labe sint puri; et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Hæc de causa jussit Deus, Exod. II. Moysi, cum eum ducem profectionis per desertum in terram sanctam constitueret, calceos exuere, quia nimirum decebat peregrinum et ad terram sanctam tendentem exuere curas et sollicitudines terreas. Omnes nos peregrinamur in hoc deserto et ad terram sanctam tendimus. Sicut ergo terra promissa typus cælestis patriæ fuit, ita et solutio illi calceamenti Moysi mandata, typus est solutionis et libertatis spiritualis, qua pedes, id est, affectus nostros ab omni mortuo et terreno vinculo expedire, et ad iter nostrum aggrediendum præparare debemus. Moyse in deserto mortuo, postquam Josue ejus successor cum populo terram promissionis ingredi cœpit, Josue VI. tunc vidit virum contra se stantem evaginatam habentem gladium, qui Michael fuisse creditur, (ut ibi Lyra. probati.) Cui Josue: *Noster es, inquit, an adversariorum?* Et ille: *Nequaquam, id est, nec vester nec adversariorum, (ut ibi Hugo card. exponit.) sed sum princeps exercitus Domini:* et subjungit. *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, quasi diceret: Si vis, ut sim amicus tuus, solve calceamentum, etc.*

Obstabit et nobis in articulo mortis vel Michael vel angelus aliud judicium particulare peracturus evaginato gladio. Væ tibi si in agone adhuc habeas opera mortua, bona aliena, affectus pravos. rancorem, etc. quid enim hæc nisi turpissimi calcei coram Deo? Nolumus igitur judicem illum invenire nostrum et amicum, non adversarium, solvamus hic calceamentum et liberamus animos nostros ab omni pravo et carnali affectu erga creaturas.

CONCIO VIII.

PARVULORUM INNOCENTIA STATUITUR IN
EXEMPLUM CHRISTIANIS.

I. Immunes a superbia. — II. Ab avaritia. — III. A libidine. — IV. Ab invidia. — V. Ab iracundia. — VI. A gula. — VII. Ab acedia.

THEMA.

Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. XVIII.

Sagittariis et sclopetariis proponitur in medio tabulæ, vel parietis denigrati circulus exiguus, et candidus pro scopo ad quem jaculentur. Idem hodierno in evangelio facit Christus Dominus. Volentibus enim intrare per angustam cæli portam, adeoque jaculaturis ad scopum æternæ felicitatis, proponit et statuit in medio discipulorum suorum scopum candidum nimium quantum exiguum, parvulum, inquam, innocentissimum et moribus candidissimum, ita ut, si ab hoc scopo aberremus, a regno cælorum excidamus. Proponit, inquam, nobis primam nostram innocentiam et vestem illam candidam, quam suscepimus in baptismo, et retinimus in pueritia, postea vero omnes perdidimus. Res ardua, auditores, periculosus ludus, necessario tamen subeundus. Id enim confirmat regius psalter, Ps. XXIII. cum ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* Vides quoniam et hic requirit innocentiam et omnimodam munditiam. Itaque attendat sibi unusquisque quomodo jaculetur et scopum hunc attingat. Atque ut cautius jaculemur, examinemus prius scopum nobis præfixum, parvulorum innocentiam.

I. Immunes sunt parvuli a superbia. Nam primo, ditiores et nobiliores non aspernantur inferiores, sed agunt et ludunt cum illis, ac cum paribus. Tales ergo et Christiani esse debent: unde ait apostolus ad Romanos X. *Non est distinctio Judæi, et Græci: nam idem Dominus omnium, dives*

in omnes, qui invocant illum, et ad Gal. III. Non est Judæus neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim unum estis in Christo Jesu. Ideo olim Christiani vocabant se invicem fratres quia nimirum ejusdem matris Ecclesiæ, et Patris Christi filii, uti ad Hebræos III. ad Romanos XII. et XVI.

Secundo, non curant laudes, et vituperia, nec extolluntur de suis, quas habent, virtutibus, seu naturæ dotibus, ingenio, forma, natalibus, etc. ita apostolus I. Corinth. IV. monet, ne quis aversus alterum infletur, idque suo exemplo docet: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer: et ad Gal. VI. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

Tertio, non querunt dignitates nec munditiam in vestibus, imo passim humi consistunt in pulvere, de vestium cultu nihil curantes. Ita Moyses adhuc puer in domo Pharaonis educatus, diadema o Pharaone sibi impositum, de capite in humum prolabi passus est, imo et pedibus conculcavit, ut scribit Josephus, libro II. antiq. capite V. Postea etiam grandis factus, negavit se esse filium filiae Pharaonis, ad Hebræos XI. Puerorum humilitatem imitatus est etiam Sanctus Hilarius episcopus Pietavorum, cum in Concilio ad sedem aliorum episcoporum non admissus, humi consedit, dicens: *Domini est terra.*

Quarto, non sunt capitosi, sed duci et reduci se patiuntur, facile et prompte obediunt. Unde Sanctus Basilius, in regul. brevior. interrogat. CCXVII. ait: « Quomodo regnum Dei accipiemus ut parvulus? Nempe si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est parvus in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neque se disputans adversus magistros, defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientia suscipit. » Sic ille. Ejusmodi parvulus fuit Isaac, qui a patre ligno se onerari et ligari passus est; ad mortem postulatus aram conscendit, cervicem præbuit, ictum expectavit, nullo verbo contradicens aut querens, quamobrem id pater faceret, vel ipse commeruisset, Gen. XXII. Tales esse omnes Christianos vult apostolus ad Hebr. XIII. *Obedite præpositis vestris, ait, et subjacet eis, etc.*

II. Sunt immunes ab avaritia. Primo enim, paucis contenti sunt, non querunt arces et prædia, delectantur rebus vilibus et simplicibus, veluti equis et bobus ligneis, magis quam parentibus veris. Tales ergo sint et Christiani, uti monet apostolus I. ad Timoth. VI. *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus: et ad Hebræos XII. Sunt mores sine avaritia, contenti presentibus.* Vincuntur alioquin a multis ethnicis, qui paucissimis contenti, læti et hilares viverunt, uti Crates, Diogenes, Socrates quorum hic, cum videret re-

rum, quæ in foro vendebantur, multitudinem, dicebat: *Quam multis ipse non egeo?* Laertius, in Socrat. Diogenes cum videret pauperem manucavam bibere e fonte, vasculum abjecit, quo prius utebatur ad hunc usum: Anacharsis Scythæ philosophus ad suos scripsit: *Mihi amictus tegmen Scythicum: calceamentum, solearum callum: cubile, terra: pulmentum, fames, etc.* Cic. V. Tusc. Quid faciant Christiani, quorum divitiæ in cælo sunt?

Secundo, fraudare, fallere et mentiri nesciunt. Idem faciendum Christianis, ut monet apostolus I. Corinth. IV. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Ita veteres Christiani malebant mori, quam vel semel mentiri, ut scribit Sanctus Justinus martyr. apol. IV.

Tertio, non sunt solliciti de veste, cibo, etc. sed hæc omnia committunt parentibus, ad quos recursum suum habent, cum quia eorum deficit. Si quæras ex aliquo parvulo: *Uille tibi vestes erunt, cum has tuas attriveris?* Pecunias non habes: sarciendi artem non calles: nihil hoc perturbabit parvulum, dicet enim se habere patrem aut matrem, qui hac de re solliciti sunt. Idem nobis omnibus faciendum hortatur apostolus ad Philippenses IV. cum ait: *Dominus prope est: nihil solliciti sitis, sed in omni tempore scilicet vel negotio, oratione et observatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant, apud Deum, quasi diceret: In omni afflictione per orationem recurrite ad Deum et exponite ei vestras necessitates.*

Quarto, liberales sunt, et facile dant, etiam canibus. Ita puer ille, qui habuit quinque panes hordeaceos, statim obtulit petentibus apostolis: et Tobias junior cum esset, quidquid habere poterat concaptivis fratribus dabat, Tobia I. sic Sanctus Hermanus (qui etiam Josephus postea dictus) adhuc puer panem suum communicabat imagini pueri Jesu, cum ad scholas iret. Hunc in modum Christiani sint liberales: *Omni petenti te tribue, ait Christus, Luca VI. et qui auferit, quæ tua sunt, ne repetas.*

III. Immunes sunt a luxuria. Primo, quia carnis rebellionem nesciunt, sed eam velut mortuam gerunt, adeoque sicut angeli in carne vivunt extra carnem. Idem Christianis suadet apostolus ad Colos. III. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, etc.* Licet vero canis ille non nunquam se erigat, et latret, satisfaciet Christianus, si mox illum coercere virga et compescere studeat.

Secundo: *Parvulus videns pulchram mulierem non delectaretur, ait S. Hieronymus, in cap. XVIII. Matth. ita oculi Christianorum simplices et casti*

esse debent, alioquin eruendi potius et abjiciendi uti monet Christus in hodierno evangelio.

Tertio, carnis peccata et voluptates nec nominare quidem sciunt, nedum ut agnoscant. Sic constituti Christiani esse debent, ut serio monet S. Paulus ad Ephes. V. dicens: *Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.*

IV. Immunes sunt ab invidia. Primo enim, mutuo se amant et sincere inter se mutuo agunt, colludunt, concinunt suaeque libenter communicant; quod maxime proprium Christianorum esse debet, quia singulariter eis a Christo commendatum: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem. Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, etc.*

Secundo, non æmulantur nec invident alteri, si habeat meliora: non contendunt de præminencia. Idem nobis commendat apostolus ad Galat. V. *Non efficiamur, inquit, inanis gloriae cupidi invicem provocantes, invicem invidentes.* Item parvuli non sine strepitu interpretantur aliorum dicta et facta, et simplici mente credunt, accipiunt et intelligunt; uti S. Helenus puer christianus, qui ignis afferendi causa ad vicinum missus, ignitos carbones in sinum accepit, et veste illæsa attulit, ut est in vitis pp. I. p. de S. Heleno. Ita constitutos vult Christianos S. Petrus: *Quasi modo genti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, inquit.*

Tertio, flent cum flentibus (maxime nutricibus) gaudent cum gaudentibus, uti illi, qui Christo triumphante acclamabant: *Hosanna.* Matth. XXI. Ita etiam fidelibus faciendum monet apostolus ad Romanos XII. *Gaudere, scilicet, cum gaudentibus et flere cum flentibus.*

V. Sunt immunes ab iracundia. Primo, offensus cito et facile placantur, veluti projecto pomo: *Sicut parvulus, ait Sanctus Hieronymus hoc loco, non perseverat in iracundia, sic et vos, etc.* Idem Christianos facere jubet apostolus ad Ephesios IV. dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Fecitque id inter alios Sanct. Epiphanius episcopus Cypri; dixit enim S. Hilarioni: *Ego ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habeat aliquid adversum me: neque ego dormivi habens aliquid adversum illum.* Cui Hilarion: *Ignosce mihi, quia tua conversatio major mea est.* Ita S. Joannes eleemosynarius archiepiscopus Alexandrinus cum quadam die contra Nicetam patriarium ira, licet justa, commotus fuisset, ut se ante vesperam ei reconciliaret; ad Nicetam misit presbyterum suum, qui ei diceret: *Sol jam est in occasu, vir maxime venerande.* Quo stimulo compunctus Nicetas ad S. Joannem accurrit et uterque ante solis occasum in mutuos ruerunt amplexus, Leontius, in vita S. Joan. eleemosynarii.

Secundo, injuriarum sunt immemores: *Non meminit læsus, ait S. Hieronymus de parvulo, loco citato.* Idem Christianis faciendum docet apostolus citato loco, cum ait: *Donantes invicem (scilicet injurias) sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Id ipsum docuit Pythagoras, cum dixit: *Ubi olam a cinere sustuleris, turbandum est vestigium, id est, ubi ira deferbuerit, mali præteriti memoria est obliteranda.* *Ethnici et ingrati, ut dicebat B. Thom. Morus, beneficia pulveri; si quid mali patiantur, marmori insculpunt: Christiani vero est maleficia pulveri, beneficia marmori insculpere.*

Tertio, nesciunt parvuli se vindicare, sed, si forte lædantur, parentibus tantummodo conqueruntur et ostendunt læsa membra. *Sicut infans, ait S. Ambr. serm. LV. nescit irasci fraudare non novit, referre non audet: ita et christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliatis non resistit, lædentibus non repugnat.* Fuit ejusmodi infans magnus ille Christophorus martyr, qui percutienti se in maxillam præfecto Sami respondit: *Repercussissem te, si Christianus non essem.* Sur. tom. IV. proprium ergo Christiani esse putavit injurias non vindicare. Ita S. Stephanus Hungariæ rex, cum aliquando sub noctem pauperes eleemosynæ nimium inhiantes barbam ei evulsissent, ad B. Virginem se convertit, injuriam recensuit et condonavit perlibenter, Sur. in ejus vita. Audi apost. ad Rom. XII. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindictam, et ego retribuam.*

VI. Immunes etiam sunt a gula. Primo etenim, aqua et pulte fere utuntur et contenti sunt, vinum et dapes non expetunt. Excellere in hoc Daniel et socii pueri apud regem Babylonis, qui respuerunt cibos regios et petierunt aquam tantum et legumina in victum quotidianum, Danielis I. Imprimis vero S. Joannes Baptista miræ temperantiæ a puero assuevit: item S. Nicolaus episcopus et alter Nicolaus Tolentinus.

Secundo, non patiuntur sede adigi ad superfluitatem: seu cibi, seu potus, imo obrusam cum indignatione remouent. O quanto sapientiores sunt adultis, qui eousque se ingurgitant, donec mentem et corpus perdant!

Tertio, citius a mensa surgunt, diu consedere nequeunt, ne diutius detineantur a solitis suis exercitiis.

VII. Immunes denique sunt ab acedia. Primo, quia semper occupantur et nunquam otiosi possunt, ludunt, discunt, ædificant, equitant in arundine. Ita decet Christianos nunquam otiosi: *Quæcumque potest manus tua instanter operare,*

Eccl. cap. IV. Unde apostol. vitam Christiani agni et cursui assimilat, I. Cor. IX. *Sic currite ut comprehendatis, etc.* Secundo, læti sunt et hilares, nec facile locum dant tristitiæ.

Ita etiam nobis præcipit apostolus ad Philipp. IV. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Debent enim Christiani in via mandatorum Domini alacriter progredi, quemadmodum cantant agricolæ cum arant et serunt, cogitantes futuram messem. Ad hanc lætitiæ spiritualem hortabatur suos discipulos S. Antonius eo quod nulla re magis vinceretur demon: item abbas Apollo apud Palladium in Lausiaca, cap. LIII. dicebat enim ad suos: « Non oportet nos esse tristes propter salutem, cum futuri simus hæredes regni cælorum: tristes erunt gentiles, flebunt Judæi, lugebunt peccatores, justi autem lætabuntur; et qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis, nos autem qui tanta spe digni sumus habitus, cur non lætamur perpetuo? » Sic ille.

Tertio, ad laborem, modestiam et disciplinam facile compelluntur, uti verbo minaci, aut virga hærente ad fenestram. Sic etiam Christiani Dei minas pertimescere et flagella horrere debent. Idcirco subdit prædicto loco apostolus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus prope est, id est, ad judicium properat.*

CONCIO IX.

SCANDALI AGTIVI QUANTA PERNICIES.

I. Væ scandalizanti a Deo. — II. Væ illi a Christo. — III. Væ illi ab angelis. — IV. Væ illi ab Ecclesia. — V. Væ illi a dæmonibus. — VI. Væ illi a pusillis.

THEMA.

Væ homini illi per quem scandalum venit.
Matth. XVIII.

Cum Hebræi tempore Ezechielis a Deo recessissent, et indomiti evasissent, misit ad illos Deus prophetam Ezechielem, dicens ad eum: *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli et subversores sunt tecum et cum scorpionibus habitas; verba eorum ne timeas et vultus eorum ne formides, etc.* quo dicto porrexit Deus prophetae librum, qui erat scriptus intus et foris; et scriptæ erant in eo lamentationes et carmen et væ. Ergo quidem, auditores, mallet semper ea loqui, quæ ad spem et hilaritatem erigere possent animos; sed quia inter tot nunquam desunt reprobi, duri et obstinati, imo

subversores, qui aculeo mali exempli alios commovent, idcirco necessarium est subinde talia dicere, quæ timorem illis incutiunt, cujusmodi sceleris est hodiernum evangelium, quod horrendum illud væ, æternæ damnationis minatur subversoribus: quos si ego non redarguero, vereor, ne illud ipsum væ in caput meum derivetur: *Væ enim mihi est, ait apostolus, si non evangelizaverero.*

I. Væ scandalizanti a Deo; destruit enim opus, quod Deus ad suam ipsius gloriam summa bonitate, sapientia et potentia condidit. Quid tibi videretur de eo, qui regium palatium vel splendidissimum templum, ingentibus expensis excitatum, et a sapientissimo architecto extractum incendere vel vastare auderet? Certe qui celeberrimum illud Dianæ Ephesinæ templum, quod inter septem orbis miracula numerabatur, incendere ausus est, Herostratus nomine, qua sibi nomen immortale pareret, postea ex hominum memoria omnibusque libris, Ephesiorum decreto deletus est, Valerius Max. lib. VIII. cap. XV. et alii. At homo Dei palatium, templum et structura est omnia mundi miracula superans. Audimus enim apostolum dicentem I. Cor. III. *Dei ædificatio estis: et post pauca: Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* Hoc ædificium, hoc templum incendit et evertit, qui verbo vel exemplo hominem pervertit. Quid ergo iste merebitur? Subdit hoc illico apostolus: *Si quis autem, inquit, templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, quasi diceret: Nomen ejus delebit in omnem æternitatem et exuret in gehenna, non in purgatorio, de quo ante verba fecerat. Id ipsum per Ezechielem, cap. XIV. nervosius expressit Deus, cum ait: Homo de domo Israel, quicumque scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam (id est, oblectaverit, se in scandalis suis et aliorum perversione) ponam faciem meam super hominem illum (quasi diceret: Persequar eum jugiter et opprimam, veluti luctator hostem prostratum, ut exponit ibi Hector Pintus) et faciam eum in exemplum et in proverbium, et disperdam eum de medio populi mei.* Idem hoc est, quod Christus expressit in hodierno evangelio verbis illis: *Expedi ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* In quem locum S. Hieron. ait: « Secundum ritum provincie ejus loquitur: quo majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur. » Et tamen istud supplicium scandalizantium gratiam adhuc continet. *Expedi ei, inquit. Quomodo, quæso, iram ei indignationem suam contra scandalum magis explicare potuisset? Adeo nimirum id exosum*

Deus habet, ut velit ab oculis hon. num. longissime removeri, sepeliri in abyſſo, et ibidem opprimi lapide molari, ne amplius ſupernatet, et in conſpectum hominum veniat. Sed et ſcandalorum artifices facit in exemplum et proverbium; quod certe experta eſt impia Jezabel, quæ regi Achab, marito ſuo lapſus occaſionem dederat, et univerſum negotium cædis Naboth texerat, ideoque de fenestra præcipitata et a canibus lacerata, facta eſt in exemplum et proverbium, ut de ea dicere ſolent: *Hæcine eſt illa Jezabel?* IV. Regum IX. Videtur ergo unusquisque, ne diſperdat opus Dei, ſi ipſe non vult diſperdi: *Quæ ædificationis ſunt, invicem custodiamus*, ait apoſtolus ad Rom. XIV. et *noli propter eſcam deſtruere opus Dei.*

H. Væ illi a Christo; nam et hunc offendit teſte apoſtolo I. Cor. VIII. qui ait: *Sic autem peccantes in fratres et percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Ratio, quia Chriſti agriculturam et fabricam, quæ ipſum ſanguine proprio conſtitit, vaſtat et evertit. Quod enim ait idem apoſtolus I. Cor. III. *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis*; ſub Dei nomine Chriſtum poſſimum intelligit; qui Eccleſiæ agrum, a cœleſti quidem Patre plantatum, poſtea tamen opera diaboli vaſtatum, iterum excoluit immenſo ſuo labore et ſanguineo ſudore. Similiter ædificium a Patre extractum, ſed hominum culpa collapsum, iterum erexit. Hinc mihi velim intelligas, quantopere offendat Chriſtum, qui aliis ſcandalum præbet. Ipſe enim de cœlo in terram venit, relictis ibi angelis ſuis, ut animas perditas quaereret; quapropter huic doctrinæ de ſcandalo cavendo mox ſubjicit illa verba: *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat*, necnon parabolam illam de quaſita ove errante. Ipſe in cultura Eccleſiæ ita laboravit, ut propterea in horto qui Eccleſiæ typus erat, ſanguinem ſudarit, et corpus ſuum ſubjecerit flagellis aratorum. Sic enim vertit S. Hieronymus locum illum Pſal. CXXVIII. de Chriſto loquentem: *Supra dorsum meum araverunt arantes*: ubi nos legimus; *Fabricaverunt peccatores.* Ipſe ut erigeret collapsam Eccleſiæ fabricam, in cruce erigi voluit. Tu igitur ſcandalose deſtues hoc opus, quod Chriſtum tanto ſtetit? Vaſtabis illam ſegetem, quæ ſanguine ejus rigata eſt? Perdes vel ovem unam, quæ tanto ejus itinere quaſita eſt? *Et peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* inquit apoſtolus, I. Cor. VIII. Certe niſi animæ noſtræ chariores fuiſſent Chriſto, quam propria ejus vita, non eam pro illis deſiſſet. Cum enim, v. g. pecunia emis equum, uti que magis equum diligis quam pecuniam. Qui ergo ſuo exemplo vel maligna ſuggeſtione abſtra-

hit Chriſto animam, plus tollit quam Judæi, qui abſtulerunt vitam, uti docet S. Bernard. ſerm. de converſione S. Pauli, ubi concludit: *Horrendum penitus ſacrilegium, quod et ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus ſacrilegas injecerunt.* Et hac de cauſa Chriſtus reprehendit episcopum Pergami, quod in ſuo grege toleraret ſcandalorum architectos, Nicolaitas, ſectatores Balaam, et minatus eſt excidium tam ipſis, quam episcopo, niſi eos exterminaret: *Pœnitentiam age*, inquit, *ſi quo minus, veniam tibi cito et pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Et quis explicare queat, quanto verborum pondere, quanta indignationis mole Chriſtus in juicio prorupturus ſit in tales animarum homicidas qui illum gladii ictum poterit excipere? Ad illum etiam ſpectat, quod dicitur Oſeæ XIII. *Occurram eis quasi urſa raptis catulis.* Mirus eſt urſæ amor in catulos, quos et lambendo format ac perficit: ideo mira etiam ſævitia ejus raptis catulis. Sed major Chriſti in nos amor, qui in cruce nos formavit. Quanta igitur ferocia putas, occurret iis, qui verbo vel exemplo rapuerunt ejus filios? Ergo tu ſi cum tanto pugile et tam feroci urſa congreſſi non audes, acquieſce conſilio apoſtoli ad Rom. XIV. monentis: *Noli cibo tuo* (exemplo aut verbo) *illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

III. Væ illi ab angelis, cuſtodbis præſertim clientum illorum, quibus offendiculum ponit. Gravius enim quam dici poteſt, offendit hos cuſtodes; quia ſi gaudium eſt angelis in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente: ergo tantumdem contriſtantur et indignantur ſuper uno juſto, qui vel ſuapte vel alterius culpa pervertitur, et ſi omnes, multo magis cuſtodes, qui ſingulari zelo ſervant et ſervare cupiunt animas ſibi commiſſas: quo etiam inſtigante vindictam a Deo poſtulant in ejusmodi prædones. Id enim manifeſte colligitur ex hodierno evangelio, ubi Dominus ait: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, quaſi diceret: *Nolite contemnere et pro nihilo ducere, innocentem ſcandalizare, quaſi parum aut nihil ſit; ſiquidem eis miniſtrant angeli, qui ſemper ante faciem Dei ſtant et valent proinde in contemptores vindictam a Deo facile impetrare, idque facient abſque dubio: quia cauſas ſuorum clientum velut oratores agunt apud Deum.* Hoc vult dicere Chriſtus, alioquin non concluderet. Memento qui ponis ſcandalum, Abrahamum, quando gladium in filium ſtrinxit, ab angelo inhibitum ea voce: *Abraham, Abraham, non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quidquam,*

Gen. XXII. angelum Iſaaci credo hunc fuiſſe, qui clientem ſuum tutatus eſt. Idem tibi dici exiſtima ab angelo illius, quem tu ſecundum animam occidere machinaris. Memento illius angeli ductoris Hebræorum, qui poſuit ſe medium inter caſtra Egyptiorum et Hebræorum, ne illi in nos ſævirent, Exodi XIV. et cito cuſtodem illius etiam, quem tuo ſcandalo tu perſequeris, medium ſe conſtituere inter te et ipſum et minitari tibi Dei iram.

IV. Væ illi ab Eccleſia. Hanc enim lacerat et conturbat, dum ejus membra inſcit. Lacerat qui ejus membra a Deo et electorum cœtu abſtrahit; conturbat, quia iram numinis in totum corpus provocat. Sicut membrum putridum, vicina membra inſcit: et ſicut ſalamandra arboris, quam irrepsit, poma omnia inſcit, ideoque a natura merito ad ignem damnata eſt, Pier. I. XVI. hierogl. ita et ſcandalosus Eccleſiam affigit, cum ejus membra perdit. Hinc enim illa abſcindi, modo gladio pontificis ſeu excommunicatione, modo gladio carnificis debent. Idcirco S. Paulus cum ejusmodi membra cerneret inter ſuos Galatas, optabat ea abſcindi: *Ultimam*, inquit, *abſcindantur, qui vos conturbant*, Galat. V. Unde hæc tanta, inquires, apoſtoli ſeveritas in ſuam Eccleſiam? Quis enim de ſuo corpore deſiderat membrum abſcindi? Quia nimirum, ut paulo ante dixerat, modicum fermentum totam maſſam corrumpit, (hoc eſt, pauci reprobi et errantes totam Eccleſiam.) Hoc eſt quod in hodierno evangelio ait Dominus: *Si manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, et projice ab te: ſi oculus tuus, erue eum, etc.* Quare in ejusmodi homines merito inſurgit Eccleſia et vindictam a Deo poſtulat, ac cum poteſt, eos exturbat exemplo Joſue et Hebræorum, qui Achanem, quod ſuo ſacrilegio totum populum Deo odioſum reddidiſſet, cum omni ſua familia lapidibus obruerunt, dicentes: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus*, Joſ. VII. Hinc ſibi adeo timuit Berengarius ille, tametsi poſt pœnitentiam migrans ex hac vita ad judicium, quod nimirum alios perverterit, quos reducere non potuit, ut alibi oſtendimus ex Gersono.

Et quid mirum? De hoc enim nefario crimine intelligendus Deus per Amos, c. I. loquens: *Super tribus ſcleribus filiorum Ammon et ſuper quatuor* (id eſt, ſuper quartum) *non convertam eum, eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad.* Quis hoc tam enorme ſcelus venia indignum perpetrat? Nonne is qui gladio ſcandali ſui diſſecat Eccleſiam, et ex illius gremio excindit innocentes?

V. Væ illi a dæmonibus; tametsi enim illis gratiſſimum offert ſacrificium, cum alios ſecum

perdit, nihil tamen aliud recipiet ab iis, quam duplicatam pœnam pro mercede ſua: unam, quia ſeipſum, alteram, quia proximum perdidit: ſolet remunerari dæmon præſtita ſibi obſequia ad inſtar Pharaonis, novi illius regis, ut dicitur Exod. I. qui coegit Iſraelitas ire et colligere paleas totoque tempore occupari in operibus lutii: demum vero pro mercede dire juffit flagellari, Exod. V. Imperat dæmon, novus rex, (vetus enim eſt Deus) ſuis mancipiis (veneficis præſertim) ut eant et colligant paleas, hoc eſt, leves, et ad malum pronos homines ſeducant, ſecumque ducant ad dæmonis ergaſtulum: reliquo autem tempore in ſordibus et ſcleribus ſe volent; poſtquam hæc obtinuit, flagella ſua depromit in altero ſæculo, et quandoque etiam in isto ac pro meritis ea tractat, et quorſum ablegat paleas, hoc eſt, inanes et leviculoſos ſectatores ſuos, niſi in caminum ignis æternum comburendos? Hæc ſunt paleæ iſtæ, de quibus Baptiſta prædixit, quod igne inextinguibili comburentur; hæc illa zizania ſeu ſcandala de regno Dei colligenda et in caminum ignis conjicienda, ſicut Chriſtus dixit, Matth. XIII.

VI. Væ illi a pusillis, quorum conſcientiam infirmam percutiunt, ut ait apoſtolus, I. Corinth. VIII. *Etenim omni plaga gravius eſt ſcandalum, cum ſæpenumero mortem afferat*, inquit S. Chryſoſtomus in eum locum apoſtoli. Irasci et indignari merito ſolemus homini adulto et robuſto, ſi nulla re offensus infantem vulneret ac cædat. Equiſ non indignetur magis, ſi hujusmodi latro animam infantis petat? Indignum etiam facinus foret cæcum in foveam ducere vel ad lapſum impellere: idcirco præcepit Deus Levitic. XIX. *Nec coram cæco ponas offendiculum.* At revera iſtud facere eſt, ei qui lumen diſcretionis non habet ſcandali occaſionem præbere, ut ait S. Gregorius, III. p. paſtoral. c. XXXVI. Hoc tam grande piaculum typice deſcribitur Exod. XXI. ubi præſcribitur ut iſ, qui percussit mulierem prægnantem, ita ut proles jam formata et animata pereat, (ſicut legunt Septuaginta) det animam pro anima. Prolem in utero Eccleſiæ necat quiſquis innocentem ſcandalo ſuo perdit. Et ſicut ſanguis Abel ad cœlum extulit vocem et vindictam in parricidam petit: ita vociferabitur multo magis anima ſive adulti ſive parvuli, vitio alterius, æternæ morti tradita. Scribit Herodotus, Darium regem Perſarum ut ei nuntiatum eſt, Sardes captas incenſasque ab Athenienſibus, jurasſe ſagitta in cœlum excuſſa, injuriam ſe ulturum et cuidam famulorum præcepisse, ut ſibi ſemper appoſita œna diceret: *Here memento Athenienſium.* Simillimum eſt quod facit Deus: tanta enim Deo

injuria infertur, cum evertitur innocens anima pravo alicujus exemplo, ut propterea constituerit sanguinem eversi, qui continenter coram Deo stans vindictam expetat in tam noxium caput.

Exemplum desideratis? Scribit Thomas Cantiprat. lib. II. apum, cap. XXX. qui in hanc fere sententiam scribit: « Adolescens adhuc cœvum quemdam habebam parilium studiorum, charum mihi imprimis, modestia ac pudicitia insignem, sed postmodum pessimo magistri cujusdam sui exemplo in transversum actum. Admonitus autem per me aliosque familiares suos, ne ipse tam præclari sanguinis (nobilis enim erat) tantæque expectationis adolescens, tantam infamiæ notam scelere illo inuri sibi pateretur, retraxit pedem aliquoties, sed consuetudine depravata pertinacius semper impellente infelix toties rediit, dum divina vindicta viam penitus et vitam interclusit. Hospitati erant apud eum die quodam nobiles nonnulli eodem oriundi stemmate, copioso stipati famulatio; solutaque cœna dum quieti ac somno quisque se comparat et in cubiculum, quod separatim habebat, secessit; ibi ille dum inlecto jam esset, clamare subito, auxiliumque contentione qua potuit maxima postulare. Excivit ea res domesticos, herilique lecto propere sistunt attoniti clamores causam diu indagantes, nullam accipiant. Decanum aliosque e canonicorum accersunt collegio, qui curriculo advolante, cum auxilio ferendo non essent, illud a divina manu potentiore nimirum fortioreque flagitet, ac vitæ perperam gestæ coram sacerdote deponat, auctores fiunt. Talia crebris vocibus inculcantes, nihil omnino proficiunt: fatigatus tandem adolescens igne horroreque formidandis oculis ad decanum conversus: *Væ*, inquit, illi, qui a recto seduxit me? Ad quid nunc divinum auxilium invocabo? Ecce jam video patulum tartarum, presentes demones et ad rapiendum me totis faucibus hiantes. Cumque omnes ut salutari potius crucis se communire signo, cum lacrymis inclamarent, ille sine sensu jam, clausisque oculis avertit faciem dirasque voces emittere non cessavit, dum miseram maloque magistri exemplo perditam animam efflavit. » Hoc nimirum est illud *væ*, quod in hodierno evangelio Dominus bis pronuntiavit, primo contra eos qui scandalo pervertuntur: *Væ mundo a scandalis*, iterum contra eos, qui scandalo pervertunt: *Væ homini illi, per quem venit scandalum*. Sed hoc longe terribilius, unde ait: *Væ autem*, id est, multo magis seductori, etc.

CONCIO X.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Christus amator innocentie. — II. Deus angelum custodem homini assignat. — III. Præmonet cavenda scandala ne puniat. — IV. Patienter sustinet peccatores. — V. Prædicat varia in mundo scandala. — VI. Punit reprobos gehenna.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Matth. XVIII.

Petit aliquando Moyses, Exod. XXXIII. ostendi sibi faciem Dei: *Si inveni gratiam in conspectu tuo*, inquit, *ostende mihi faciem tuam, ut sciam te*. Sed respondet ei Dominus: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. Positus ergo Moyses in foramine petra vidit transeuntem a tergo Deum, et exclamavit: *Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis et verax*, Exod. XXXIV. Subito opinor et nobis quandoque desiderium vivendi faciem Dei, quomodo et Philippa subiit, cum diceret: *Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*: verum in hac vita videre Dei faciem, inconcessum est. Angelorum istud est, ut ex ore Domini audimus in hodierno evangelio et reliquorum cœli civium. Cæterum a tergo videre Deum possumus, si in petra fidei firmiter consistamus. Et qua ratione? inquires. In sacris nimirum Scripturis, in quibus velut a tergo obscure cernimus Dei majestatem, et ut dixit apost. I. Cor. XIII. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Hujusmodi speculum est hodiernum evangelium, in quo veluti a tergo cernimus ea fere omnia, quæ in Deo Moyses vidit. Videmus enim dominatorem Dominum Deum, severissime punientem scelera, scandala imprimis: videmus misericordem dehortatione a scandalis tum dandis, tum incurrendis: videmus clementem in advocandis, suscipiendis et amplexandis parvulis: videmus patientem in tolerandis tot mundi scandalis: videmus eundem multæ miserationis, siquidem unicuique homini custodem angelum dedit: videmus denique veracem, qui scandala in mundo futura prædixit: videbimus nunc singula.

I. Cernimus clementem et benignum, siquidem advocavit ad se puerulum, eumque, ut scribit Sanctus Marcus, complexus est, atque (ut Græcum verbum sonat) in ulnas suscepit. Eo enim facto ostendit, quantus sit amator innocentie et humilitatis. Quemadmodum enim mater grandiores liberos repellit ab uberibus, parvulos vero

admittit: ita Christus innocentes suaviter tractat, solatur, tuetur, nutrit gratiæ suæ donis, et fere etiam subsidiis temporalibus: eos vero, qui quandoque delinquant, laboribus exercet et tribulationibus, plagis et persecutionibus. Paluit in apostolis, quos omnes per martyrium et varia tormenta ad se evocavit, Joanne excepto, quem ob singularem ejus innocentiam tenerius amavit et in pace obdormire voluit. S. Gregorius papa cum aliquando Romæ venales in foro pueros videret candidos et venustos, sed paganos, paganorum filios, ingemiscens rogavit, quo nomine vocarentur. « Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Bene, (inquit) Angli, quasi angeli, quia angelicos habent vultus, et tales angelorum in cœlis decet esse concives. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa provincia. Mercator respondit: Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius: Bene (inquit) Deiri, quia de ira sunt eruendi et ad Christi gratiam convocandi. Rex, ait, illius provincie quomodo nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen dixit: Bene, quia dicitur Aelle: Alleluia enim in laude creatoris in partibus illis oportet decantari. » Quocirca ipse in Angliam a Benedicto papa mitti ad eam convertendam petit et impetravit. Ab itinere tamen revocatur; postea pontifex factus misit eo Augustinum et alios ad fidem implantandam. Emptos etiam pueros illos Anglos censuit non ut alia mancipia tradendos glebis, sed inter angelos collocandos, in monasteriis scilicet ad vitam monasticam colendam. Tradit Joannes diaconus, l. I. vitæ ejus, c. XXI. et Baron. an. 595. Hujus igitur sancti et imprimis Christi exemplo discant ludimoderatores et parentes innocentiam parvulorum nutrire et fovere: eosdem ad honesta studia applicare, a scandalis pravorum remove, Dei servitio mancipare, ut sint et maneant angeli. Audiant Dominum dicentem: *Qui susceperit unum parvulum talem, me suscipit*: et: *Quis scandalizaverit unum ex his pusillis, etc.* et rursum: *Videte ne contemnat is unum ex his pusillis*. Quæ omnia non de parvulis tantum, se de omnibus qui innocenter et pie vivunt, accipienda sunt.

II. Cernimus eundem multa miseratione præditum, dum homini ex natura sua misero, colo nudo angelum attribuit custodem, ut patet ex illis verbis: *Angeli eorum, etc.* S. Greg. Nysenus idem confirmans, libr. de vita Mos. ait: « Verus sermo ad nos descendit, quo creditur postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino a clementia divina neglectam esse, nec absque patrocinio demissam sed angelorum qui natura incorporei sunt, aliquem in admini-

culum cuique constitutum esse. » Cogitemus nos videre ducem aliquem circumventum rebellibus ac seditiosis subditis, totum inermem, nec vestitum nisi linteo et subtili indusio, insidentem equo, vel debili vel duro, præfracto et meticuloso, et quidem in campo palustri. Quo pacto hic sperare posset se de manibus circumfremantium inimicorum ereptum iri, nisi cœlica Dei ope? Atqui omnes nos in hujusmodi miseriam redacti sumus ut qui a cæca præcipiti timida et effræni sensualitate crebro seducimur et hostibus nostris, qui magno numero obsident nos, undique prodimur. Quis ergo non agnoscat Dei misericordiam, qui nobis in tanto periculo constitutis strenuum, potentem ac sapientem adjunxit protectorem et hyperaspitem angelum de celo?

Quin et singulis provinciis, regnis et regionibus datum a Deo angelum præsidem generalem docent ss. litteræ. Quemadmodum enim in republica bene ordinata non solum particulares cujusque loci vel civitatis officiales sunt, sed etiam alii quidam generales super integras provincias, tractus, præfecturas, ut illi ab his dependant et dirigantur; ita etiam Deus quoniam intervenit angelorum mundum gubernare constituit, præter custodes unicuique proprios, constituit quoque superiores alios, quibus integræ provincie, tractus, præfecturæ, civitates commissæ sunt. Hujusmodi angelos vidit Jacob, Genes. XXXII. cum dixit: *Castra Dei sunt hæc*. Erant enim duo exercitus, unus angeli præsidis super Mesopotamiam, alter præsidis super Chanaanum constituti cum tutelaribus eis subordinatis, ut docet ibi Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis, disertissimus ss. litterarum explanator, quid ob eam singularem perspicaciam hoc versu celebratur: *Hic stupor est mundo qui scibile discutit omne*. Hujusmodi erant angelus Persarum præses et præses Hebræorum Michael, Dan. X. Nec desunt extra ss. litteras hujus rei exempla. Inter cætera narratur in historiis ecclesiasticis apud Baronium, anno 400. Socratem, lib. XIII. Cum Gania impius tyrannus magnum militum manum emisisset ad succedendum palatium Constantinopolitanum, hique ut mandato parerent, in viam se dedissent, conspectam fuisse numerosam aciem hominum aspectu non minus formidabili, quam statura grandi, unde conterriti re infecta regressi sunt. Omnium vero sententia isti angeli loci illius præses erant.

III. Cernimus misericordiam dum præcavenda monet scandala tam data quam accepta. Signum enim id est misericordie, qua parcere magis vult quam plagas inferre: *Væ*, inquit, *mundo a*

scandalis: item: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Idem fecit Deus antequam diluvium immitteret, annis centum et viginti, per Noen id committendo: idem ante excidium Jerosolymæ a Tito factum. Inventus est enim in civitate homo rusticanus nomine Jesus, qui per annos septem et menses quinque continuo clamabat: *Væ, væ Jerosolymis*, id fecit usque dum urbs obsideretur: ubi supra murum circumiens vociferabatur: *Væ, væ civitati ac templo ac populo*, Joseph. lib. VII. de bello, c. XII. Baron. anno 65. Rursum ante ultimum ejusdem urbis excidium quod factum ab Hadriano imper. cum sepulcrum Davidis et Salomonis sponte corrui, ut refert Dio in Hadriano. Similia prodigia ad revocandos a peccandi libidine mortales ostensa sunt antequam Lombardi Italiam vastarent, igneæ scilicet acies in cælo sanguine coruscantes, teste S. Gregor. lib. III. dial. cap. XXXVIII. et ante persecutionem Wandalicam Hunerici regis in Africa apud Victor. Uticens. lib. II. Wand. Quin et nostro sæculo talia contigerunt, quando nimirum cometa diuturnum in imperio bellum nobis verissime portendit: alibi sanguinea pluvia idem demonstravit, etc. Et quid hæc omnia nisi divinæ misericordiæ argumenta, qui antequam feriat, imo ne feriat, dat: *Metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus.* Hoc igitur beneficii præstat noster Jesus mundo in hodierno evangelio, dum per universum orbem clamat etiamnum ex ore concionatorum: *Væ, væ mundo: væ mundo a scandalis: væ homini illi, per quem scandalum venit.* Primum væ, ut ne scandalum capiamus; alterum ut ne demus. Vidit nimirum Dominus quantis in altero sæculo tormentis plectantur scandala. Unde ad nos clamat monens ut ea caveamus.

IV. Cernimus patientem, dum discipulorum ambitionem et concertationem silens toleravit ac dissimulans, (siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset, inquit S. Marcus, cap. IX.) quorum cogitationes videns Dominus interrogavit eos: *Quid in via tractabitis?* Et hinc cæperunt eum interrogare: *Quis major esset?* Non inter ipsos, (ne proderent suam contentionem, sed in regno cælorum. Deinde, dum tot gravia scandala, quæ in abyssum mergi digna asserit, tolerat in mundo et patitur ut alter alteri laqueos tendat et offendiculum ponat. Nemo nostrum ferre posset, si petulantes pueros cerneret in via foveas excitare, alibi laqueos ponere, alibi prægrandes lapides objicere, quia cæcis et aliis incautis ambulandum esset. At hujusmodi foveis, offendiculis et laqueis plenum esse mundum vidit S. Antonius. Profecto tanta est scandali gra-

vitas ut lapide molari emergi debeat in abyssum (propterea scilicet quod id terra sustinere nequeat), quanta erit Dei patientia, quæ tot scandala tolerat? Neque unus tantum scandalo vulneratur et perimitur, sed complures alii.

V. Cernimus veracem; quod enim dixit: *Necesse est ut veniant scandala*; supposita scilicet, quam prævidit, hominum malitia et perversitate, id nostro etiam sæculo nimis verum deprehendimus in quocumque statu. Quanta enim in religione scandala præbent in primis aliqui prælati, qui ex suis domiciliis aulas faciunt, et vivunt velut principes aut comites, multo stipati famulatio, splendido victu et vestitu? Deinde, monachi vagabundi, qui cum ob dissolutionem in monasteriis tolerari nequeunt, ut sæculo discurrunt, nummos stipatim emungunt, rursumque abliguriunt sibi et aliis onerosi? His enim dicitur id Malach. II. *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi.* Quanta in clero scandala? Videre est, clericos qui tametsi ad sacerdotium nunquam aspirant, tot nihilominus beneficiis et dignitatibus onusti sunt, quot conchylibus peregrini S. Jacobi. Aliorum vita dissoluta, impura, lurida, rusticana et prorsus sæcularis est, plurimorum ingenti scandalo; vel inde graviori quod illorum presules aliqui talia non emendent, manus facile nimis imponant, sæcularia tantum tractent et curent, ad clerum et profectum animarum parum attendant. Quibus id Ose. II. dicitur: *Audite hoc sacerdotes, quia vobis judicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi* (id est, episcopatu vel parochiæ vestræ) *et rete super montem Thabor.* Quanta in multis sæculi principibus et magistratibus, qui omnia sibi licere rati, nihil non æquum ducunt, quod efficere vel obtinere possunt quocumque tandem titulo: *Qui alligant subditis onera gravia, ipsa ea digito suo nolunt movere?* Quanta in nobilium statu, qui intoleranda vestium novitate et splendore non opes tantum exhauriunt, sed et alios pervertunt ac libidini fomitem præbent? Quanta in juvenibus alienæ castitati insidiantibus, qui oculos habent: *Plenos adulteriæ et incessabilis delicti?* ut dicitur II. Petr. III. Quanta in mulieribus, quæ meretricio cultu ad libidinem alios provocant, de quibus Isa. XIII. ait: *Pro eo quod elevata sunt filix et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum ibant et plaudebant, ambulabant et pedibus suis composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, etc.* Quanta in cauponibus, qui domos suas faciunt retia diaboli ad capiendas animas ludis, choreis, ebrietatibus, jurgiis, impudiciis, fraudibus, mendaciis, perjuriis?

VI. Cernimus dominatorem Dominum Deum, pavendum, tremendum, siquidem, ut aperte docet, eos qui scandalis aliorum depravantur, missurus est in gehennam ignis æterni. Quis autem comprehendat quid sit gehenna? Quid gehennæ ignis? Ignis æternus? Gehenna fuit, teste S. Hieronymo, in Matth. X. et Jer. VII. vallis prope Jerusalem nemorosa, in qua Judæi ethnicorum morem secuti, olim filios suos idolo Moloch immolabant et cremabant. Erat autem idolum humana forma, æneum, instar fornacis concavum. Adhibito autem intus igni inflammabatur et ignebatur: illius deinde in manibus puer immolandum collocabatur et miserandum in modum incendebatur, sacrificulis interim tympana pulsantibus, ne parentes ejulatus filiorum audirent, iisque auditis ad lamenta et commiserationem moverentur, sed potius ab idolo absque dolore exceptos crederent. Unde locus ille *tophet* appellatus, quod tympanum significat. Hoc ergo immanissimum et credulissimum supplicium Christum tartarum appellat. Primo, quia in eo Deus filios suos rebelles et contumaces, abjectos in centrum terræ (quæ ibidem ignita eos excipit et in se claudit, stringitque veluti statua Moloch) et dæmoni quasi immolatos sævissimo igne comburit. Deinde, sine commiseratione supplicium eorum spectat, nec tamen ejulatus et lamenta exaudit per omnem æternitatem. Hoc est quod apud Marcum Dominus ait, gehennæ istius pœnas declarans: *Ubi, inquit, vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.* Vermis ille immortalis vel est proprie dictus vermis, ut multi volunt, vel remorsus conscientiæ qui, ut ait Innocentius III. libr. III. de contemptu mundi: *Damnatos tripliciter lacerabit, affliget memoria, sera turbabit penitentia, torquet angustia.* Hunc ergo vermem, auditores, hunc ignem metuamus et fugiamus totis viribus. Dicamus cum S. Bernardo, l. V. de considerat. cap. XII. « Horreo vermem mordacem et mortem vivacem: horreo incidere in manus mortis viventis et vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit sed semper occidit. Quis det illis semel mori ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire aut evadere volunt? Denique, invocabunt mortem, ait, et non veniet. Intuere id clarius. Constat immortalem animam esse, nec aliquando absque sua memoria vivere, ne non animam aliquando esse contingat. Itaque durante anima durat et memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida et neglecta. Quæ priora transierunt, et non transierunt. Transierunt a manu, sed non a mente.

Quod factum est, factum non esse non potest. Proinde et si facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. Non transibit cum tempora transit. In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineris. » Sic Bernardus.

Cæterum quia hæc, quæ de gehenna loquuntur ss. litteræ et sancti patres, ægre audiuntur et difficile creduntur, voluit Deus aliis et aliis sæculis, certis quibusdam hominibus commonstrare per visiones vel ostenta. Narrat Sanctus Gregorius, lib. IV. dialog. cuidam Stephano, Romano, ostensas inferorum pœnas, speciæ cujusdam tenebrosii fluvii, qui fœtoris intolerabilis nebulam exhalabat, in quem collabebantur ex angusto ponte, quotquot gravium scelerum rei transibant. Joannes Damascenus, in historia Barlaam et Josaphat, cap. XXX. refert Josaphatum per visum fuisse abductum ad spectandam tam electarum, quam reprobarum animarum habitacula. Et hæc quidem ita describit: « Obscura prorsus ac tenebrosa caligo erat atque afflictione ac tumultu totus ille locus redundabat. Illic ignis fornax accendebatur et carnificum vermium genus serpebat ultricesque virtutes fornaci imminebant. Ac nonnulli miserum in modum igni conflagrabant voxque hujusmodi audiebatur: Hic sceleratorum locus est, hic eorum cruciatus, qui fœdis flagitiis seipos contaminaverunt. » Quid Angelicus ille Drieltmus Angliæ suæ narraverit de pœnis infernorum, alibi ex venerabili Beda narravimus. Recentius est illud quod in Mexicana provincia ad instructionem recentium Christianorum contigit, anno Domini 1596.

Erat in oppido quodam medicus, tanta morbi pressus gravitate, ut die quacum sensibus omnibus destitutus, pro mortuo haberetur, jacuit exanimi similis horas multas: ad eum vocatus quidam societatis Jesu sacerdos, qui loca illa peragrabat, ægrotos levandi causa, cum explorato venarum pulsu, nullum in eo vitæ residuum sensisset, ratus illum esse mortuum, quando nihil aliud supererat, funebrem illi ex forma Ecclesiæ psalmodiam, cæremoniamque persolvit: ut cum maturum esset, terræ mandaretur. Interim alios ejusdem oppidi ægrotos adit, cum ecce tibi post duas horas, exanimis ille ægrotus, quasi somno experrectus, sacerdotem, cui peccata confiteatur, accersi postulat; advenit pater admirationis plenus, ægroti excipit confessionem; qua peracta rogat sacerdos ægrotum ut quæ in eo mentis excessu viderit, audire ne gravaretur. Narravit se in latam quamdam viam, et spatiosam esse deductum, per quam innumerabiles homines iter facerent: hanc autem quo longius tenderet, eo